

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.  
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz  
Naumann, Tobias Gottfr.**

**Ienae, 1712**

**VD18 11426357-001**

§. IV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

apostolo adpellatur. Nos enim qui per Dei gratiam noui testamenti oeconomia fruimur, non amplius futurum expectamus redemptorem, sed de exhibito, & partis per eum gratiae donis, gaudemus.

§. IV. Quoad substantiam, seu rem ipsam parum quidem discriminis inter sensum specialem & specialissimum intercedit; cum reconciliatio, & remissio peccatorum gratuita in Christo per fidem impetranda, quae in veteri testamento oblata fuit, eadem etiam in nouo offeratur. Vnde superflua videri poterat huius distincti sensus commemoratio, cum ad vnum ferme collineet. Interim, quoniam ipse Spiritus sanctus diuersum hunc offert sensum, & si non substantiale, accidentale tamen, & quoad circumstantias maximum discrimen aperte sese prodit, adnotasse non erit superuacaneum. Proprie enim, noui testamenti euangelium est illud, quod Messiam exhibitum, non demum sperandum, cum infinito merito eius, & satisfactione fide amplectendum sistit, & gratiam, peccatorum remissionem, & vitam aeternam per ipsum impetrandam offert. Ast in veteri testamento promissiones tempore noui testamenti

menti implendae , constituebant euangelium , vnde etiam κατ' ἐξοχήν promissionis nomine veniebat. Nihilominus tamen euangelium novi testamenti voce ἐπαγγελίας saepius designatur ; in quantum scilicet vitam aeternam ac rem futuram expectandam proponit.

§. V. Ex hoc inter ἐπαγγελίαν & εὐαγγέλιον constituto discrimine nostrates optime in pugnarunt errores Pelagianorum , Socinianorum , Arminianorum , & Anabaptistarum , contendendum : *Homines ante legem , sola lege naturae iustificatos , & salvatos esse , post Moysen sola lege Moysi ; in N. T. lege euangelica ; euangelium specialiorem significationem cum Christo in carne manifesto primum coepisse.* Idem enim iustificationis modus , idemque euangelium a lapsu primorum parentum fuit. Scriptura sacra enim satis testatur , quod , quo modo , & quibus mediis iustificentur , & salvi reddantur , homines sub novi foederis oeconomia , eodem modo ac iisdem mediis , iustificati & salvi facti sint , qui sub V. T. oeconomia vixerunt. Disertis verbis hoc affirmat Petrus in concilio Hierosolymitano Act. XV. 11. Διὰ χάριτος κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ πιστεύομεν σωθῆναι  
E 2 καθ'.